



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 8. An persona in Deo dicat de formali relationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

fine causalitate, nec etiam sequitur prioritas rationis vt iam dicam. Hoc enim in eadem ratione dubitandi secundo loco tangebatur, & quo modo scilicet vna relatio possit esse prior ratione, quam alia. Ad quod respondeo, si relationes concipiuntur proprijs, & particularibus conceptibus positivis, sic non sequi prioritatem rationis, quia illa relatio, vel potius relatiuum, neque prius aliud attingit, vt terminum productionis, quam vt terminum relationis, & e converso, & ideo cum prioritate originis stat, vt sint simul cognitione. Loquendo autem de cognitione confusa, & negatiua, vel connotatiua, nullum inconueniens est, vt vnum relatum possit concipi, prius, quam aliud, vt ex dictis facile patet, quia non concipitur sub ratione habitudinis, vt dicitur distinctus lib. seq. Secunda ratio dubitandi postulat prolixiorum sermonem, & ideo in seq. cap. commodius tractabitur.

CAPVT VIII.

Vtrum persona in communi, & maxime in diuina significet de formali relationem vel absolutum.

Hoc disputauit Diuus Thomas fere in principio huius materię 1. parte, quęstione 29. articulo 4. & in 1. distinctione 23. & 26. (vbi alij doctores) & quęstione nona de Potentia articulo quarto. Ego vero statim in libro primo illam attigi, & remisi in hunc locum, quia sine his, quę dicta sunt, intelligi non poterat. Fuerunt autem de hac quęstione multę opinioniones, quas Diuus Thomas refert, & illas omitto, quia sine illis melius, & clarius res explicabitur. ^{1. Suppositio} Suppono ergo, personam de formali dicere positiuum aliquod, & non tantum priuatiuum: licet Scot. & Gabriel in 1. distinctione 23. alius senserint. ^{2. Suppositio} Suppono etiam, positiuum illud reale esse, quamuis communitas eius rationis sit contra Durandum in 1. distinctione 23. quęstione 1. & Henricus quodlib. 5. quęst. 6. Vtrumque autem videtur mihi euident ex dictis, quod attinet ad personas diuinas, supposito fidei mysterio. Ostensum est enim, personas diuinas constitui proprietatibus positivis, & realibus, quę sunt personalitates ipsarum: ergo ratio personę in qualibet earum, positiuam est, & realis. Quod etiam plane confirmat Incarnationis mysterium, in quo per realem, & positiuam actionem vnica persona composita confurgit. Vt omitam alia, quę de persona, vel supposito in communi in Metaph. disputauit.

^{2.} Tertio suppono, personam generatim sumptam, adęquate, & in recto, (vt aiunt) significare quid constitutum ex natura rationali, & substantia incommunicabili, quod satis constat ex supra dictis de definitione personę. Quo sensu dicunt Theologi communiter, personam in Deo significare substantiam, vt patet ex Diuo Thoma quęst. 9. de Potentia articulo 4. Alenf. 1. part. quęstione 56. membr. 2. Marfil. 1. quęstione 26. articulo 2. Bonauent. in 1. distinctione 27. articulo 1. quęstione 1. Capreol. quęstione 1. a. 1. conclusion. 2. Gabr. quęst. 1. artic. 2. Cum enim id dicunt, non sumunt substantiam pro essentia, sed pro subsistente incommunicabili, nec loquuntur de solo significato formali, sed de adęquato, in quo, & natura, & personalitas includuntur, quia, vt dixi, persona ex vtraque constat.

^{3.} Vnde inquiri potest, quę illarum formalis significetur nomine personę: in quo certum mihi videtur, (quidquid alij sentiant) formalis personalitatem pertinere ad rationem personę. Ratio est, quia personalitas est, vt propria forma complectens personę: natura vero se habet, vt quid indifferens, seu terminabile per personalitatem. Et ideo simpliciter in Deo sunt tres personę, quia forma, per illud nomen sub-

stantiuum formaliter significata, multiplicatur: sicut e contrario persona Christi Domini vnica est propter vnica personalitatem, & in rebus creatis clarum est, formam suppositi, vt sic, esse personalitatem ipsam. Imo dicunt aliqui personam in recto significare ipsam personalitatem, naturam vero in obliquo, quia ita definitur, *Est substantialis natura indiuidua substantia*. Proprie vero neutram videtur significare in recto; sed ipsum tantum suppositum, quod sic etiam posset definiti, *Est substantia constans intellectuali natura, & personalitate*. Vbi vtraque cadit in obliquo, sed natura, vt quid determinabile, personalitas, vt vltimus terminus, & quasi forma.

^{4.} Quarto suppono, si loquamur de persona in communi, vt abstrahit a creata, & increata, non posse de formali significare relationem, cum constet personas significari creatas non constitui relationibus in suo esse personali. Vnde dicunt aliqui, potius significare absolutum de formali: quod sentit Torres 1. parte, quęstione 19. articulo quarto, citans Augustin. 7. de Trinitate capite sexto. Et putat esse sententiam Diui Thomę ibi, ad Primum. Et confirmari potest ex Durando in 1. distinctione vigesima tertia, quęstione prima, quia persona non potest formaliter significare aliquid abstrahens ab absoluto, & relatiuum: ergo si non significat relationem de formali, significat absolutum, Consequentia est euident, quia non potest cogitari aliud membrum. Antecedens vero patet, quia absolutum distinguitur a relatiuo, quali per immediatam priuationem habitudinis ad alterum, nam eo ipso, quod aliquid non habet suum esse ad alterum, absolutum est, sed omnis conceptus eo ipso, quod abstrahit, vel præcindit a relatiuo, non habet suum esse ad alterum, ergo est quid absolutum, ergo repugnat dari conceptum abstractum ab absoluto, & respectiuo.

^{5.} Verumtamen hac sententia probari non potest, quia sub persona in illa communitate concepiam comprehenduntur personę diuina, & illę absolute non sunt, nec per absolutas formas constituuntur, ergo non potest persona vt sic, absolutum de formali significare, quia non potest in conceptu communi includi aliquid repugnans particulari.

^{6.} Propter argumentum autem factum existimant aliqui, personam sic abstractam non habere vnum conceptum communem, sed immediate significare personam creatam, & increatam: atque adeo absolutum, & relatiuum, quasi sub distinctione, & per quandam analogiam proportionalitatis. Nunquam tamen hunc modum concipiendi, & dicendi contemnerem, ac proinde, nec probare potui. Vnde, sicut ens, vel substantia in conceptu communi abstrahere possunt a creata, & increata, vt alibi lazius ostendi: ita etiam persona. Quia nulla est differentię ratio. Nec difficultas posita magni est momenti, negatur enim antecedens, nam ens accedens, & similia transcendentia abstrahunt ab absoluto, & respectiuo.

Ad argumentum autem negatur, absolutum constitui per solam carentiam respectus, sed per differentiam, vel modum positiuum, cui repugnat habere suum esse in habitudine ad terminum. Quando autem conceptus aliquis abstrahit ab absoluto, & respectiuo, quamuis forma, seu differentia, aut modus constitutiuis illius conceptus non includat habitudinem ad alterum, tamen ita est indifferens, vt per talem modum contrahi possit, qui intrinsece includat habitudinem ad alterum, & ratione illius, totum esse illius rei sic in particulari constituitur, in habitudine ad alterum constituit, & ideo talis conceptus communis absolutus non est, sed abstractus. Ita ergo persona in illa communitate sumpta de formali nihil aliud significat, quam substantiam incommunicabilem nature rationalis, que

SWA
IN
D

Cap. VIII. Persona in Deo, an dicat de formali, &c.

quæ ratio abstrahit ab absoluta, & respectiva, modo explicato.

8. Superest ultimo loco dicendum de persona increata, solum ut dicitur conceptum communem tribus personis. De qua sunt diversæ opiniones. Nam quidam respicientes ad modum significandi illius vocis, dicunt, formaliter significare absolutum, materialiter autem relationem. Et creditur fuisse sententia Divi Thomæ, locis supra citatis, maxime q. 9. de potentia, art. 4. Alen. Bonavent. Marfil. & Gab. locis paulo ante citatis: imo & August. d. lib. de Trin. c. 6. Et confirmatur argumento supra facto, quia persona, ut sic, non dicitur esse alicuius persona. Item, quia si in Deo esset (per impossibile) persona absoluta, non minus significaretur illa voce, & conciperetur illo conceptu, quam nunc tres personæ divinæ: ergo signum est, ex vi illius conceptus non importari formaliter relationem. Alij verò attendentes ad rem significantem, existimant, hanc vocem formaliter significare relationem in Deo: ita sentit Caietanus d. q. 29. art. 4. creditque esse sententiam D. Thomæ ibi, & priorem ibidem retractasse. Ratio eius est, quia persona de formali significat personalitatem, sed personalitas Dei est relatio: ergo significat formaliter relationem.

9. Ego vero censo, suppositis, quæ de constitutione personarum dicta sunt, hic non posse esse questionem nisi de modo loquendi, & opinor esse orram ex æquiuocatione illius termini *Formaliter*, Nam in præsentia accipi potest, vel comparando relationem ad naturam, seu essentiam Dei. Quo sensu manifestum est ex dictis, personam significare de formali relationem, ut probat ratio proximè facta pro Caietani opinione. Vel potest sumi per comparisonem ad diversos conceptus eiusdem relationis, scilicet proprium & vltimum

(qui merito dici potest formalis, quia est de relatione ut relatio est) & confusum ac generalem, qui è conuerso dici potest materialis. Et licetiam constat personam in Deo non significare formaliter relationem, sed materialiter, quia tantum illam significat sub ratione formæ hypostaticæ talis naturæ.

Quod explicabitur recte distinguendo duplicem determinationem personalitatis, seu formæ hypostaticæ generatim sumptæ, ut est quid commune ad personalitatem divinam. Vna determinatio est per modum intrinsecum ipsius personalitatis, & hæc est formalis, alia per solam habitudinem ad talem naturam & hæc est materialis. Prior explicatur hac voce, Personalitas relatiua: posterior verò per hanc, Personalitas diuina. Quæ duæ voces æque communes sunt quoad rem ipsam, & eandem formam significat, non tamen synonymæ, quia sub diuersis conceptibus seu habitudinibus eandem rem significant. Et ideo Personalitas relatiua formaliter significat relationem, & si in rebus creatis inueniretur aliqua personalitas relatiua, comprehenderetur sub illa voce, & sub conceptu illi correspondente, quantum est ex formalitate sua. Personalitas autem diuina, licet de facto non comprehendat sub se nisi tres relationes, tamen si per impossibile esset in diuinitate personalitas absoluta, sub illa voce & conceptu eius comprehenderetur, & ideo merito dicitur significare relationem materialiter. Neque in hoc inuenio difficultatem alicuius momenti. Neque existimo D. Thom. in 1. p. & a. libi, aliud vel diuersa sensisse, sed rem eandem variis modis & vocibus explicasse: omnia verò inter se consonant, si illa distinctio terminorum præ oculis habeatur.

Finis Libri Septimi de Trinitate.

INDEX CAPITVM LIBRI OCTAVI DE TRINITATE.

- Cap. 1. De prima ratione Paternitatis.
 Cap. 2. Siue esse ingenitum proprietates primæ personæ.
 Cap. 3. An Pater sit principium Deitatis.

LIBER